

Disputatio medica inauguralis de hydrope / [Gottlob Berggold].

Contributors

Berggold, Gottlob, active 1694-1697.

Lange, Christian Johann, 1655-1701.

Universität Jena.

Publication/Creation

[Lipsiae] : [Literis Joh. Heinrici Richteri], [1695]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aj8xgcc8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. J.

11

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYDROPE,

Qvam

*Indulgogratisissimæ Facultatis Medicæ
IN ALMA PHILYREA,*

SUB PRÆSIDIO

V I R I

*NOBILISSIMI AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE
EXPERIENTISSIMI*

D O M I N I

CHRISTIANI JOHANNIS

Gange/

Phil. & Medicinæ Doctoris, Facultatis Medicæ
Assessoris gravissimi, ac Lipsiensium Practici
famigeratissimi.

Patroni, Fautoris, Praeceptoris sui astutissimi,

PRO LICENTIA

Supremos in arte medica honores ac Privilegia

Doctoralia suo tempore rite obtainendi,

Publico examini submittit & offert

d. 12. Aprilis 1695.

H. L. Q. C.

Gottlob Berggold / Camentio Lusatus.

Med.Baccal. & Civitat.Iseb.Phys.ordin.

L I P S I A,

Literis Joh. Heinrici Richteri.

Per-Illustri ac Excellentissimo,
DN. DN.
F R I D E R I C O
à COSPOTH,
Dynaſtæ in Guldengofſa/ꝫ.ꝫ.
Serenissimi Electoris Saxonici Consilia-
rio Intimo,
Et
Comitatus Mansfeldici Inspectori
Supremo, &c.

Dominus suo Gratiōſiſſim⁹,

Disputationem hanc inauguralem in studio-
rum suorum commendationem ac debi-
tæ gratitudinis *τεκμήριον* offert, dicat,
conſecratqve

Cliens devotissimus

Gottlob Berggold/Phyl. Islebiens.



Proemium.

Fodem forsan jure, qvo, per axio-
ma vulgare, iisdem, qvibus con-
stamus, nutriri dicimur, afferere
licebit, nutritionis & vitalitatis
materiam nobis exitio existere, i.e.
fluida nostræ compagis non rarò in
morbos nos conjicere ac per hos
quasiad mortem præparare s. disponere. Inter hæc
non infreqvens est Lympha vitalis qvæ variis & le-
thalibus aliquando affectibus occasione evadit: non
tantum si abundet aut Cras in ac texturam vitiosam
induat, sed si motu pariter ac situ peccet, ut in Hy-
drope observamus, cuius affectus formalitatem,
causas, signa & therapeiam loco Speciminis publici,
pro viribus, sub divino auspicio, explicare per capita
in sequentia conabor, conatui autem huic favorem
Benevoli Lectoris polliceor.



Caput primum, Pathologicum.

§. I.

NHydrops delineationis limite duo mox dubia offendō, definitionem aut potius genus, hujus concernentia: Dum alii Scriptores per tumorem, alii per cachexiam, illum describunt, & speciebus illorum accensent. Vix enim, ut plerumque fieri solet, tumor ejus genus constitui, seu morbus hic inter morbos auctae magnitudinis referri, potest, (1) qvod hydrocephalus internus ac hydrops thoracis nihil tumoris praef se ferant, (2) ascitica non raro observentur per sectionem cadavera in quorum abdomen, dum in vivis erant, propter crassitatem & obesitatem naturalem, nihil tale angurari contingebat; i. e. aquositatum in ventre colluvies talis deprehenditur, quae si increvisset aut increscat, partes distensiles seu molliores demum in tumorem conspicuum attolit. Multominus Cachexiae terminus ipsi quadrat: vel quatenus Cachexia potius ac frequentius illius effectus est; vel ut bini effectus ab una eademque causa, cacochymia sc. ac viscerum dyscrasiam, proveniunt; vel quatenus etiam a causis evidenter solis, nimirus vasa Lymphatica & organa urinaria lacerantibus ac vulnerantibus, hydrops non raro generatur.

§. II. Adeo ut rationi conformius videatur, affectum hunc morbis in situ vulgo dictis adscribere, utpote cujus formalitas consistit in extravasatione seri seu mutatione hujus loci naturalis, qua ex vasis suis ad loculos & loca praeternaturalia hoc profunditur; sicque non minus Sangvini, cui p. n. detrahitur, ac parti, quam p. n. occupat, vim infert, seu utriusque statum naturalem evertit. Ita ut mihi termino hydro-

hydropis veniat extravasatio & Collectio seri in locis p.n. a motu hujus vitiioso eveniens.

§. III. Sicut autem haec aquarum depositio ad diversas corporis partes contingit, & quidem modo ad cavitates ampliores & evidentes, naturales magis, sc. ad cavum abdominalis, Scroti, thoracis &c. modo ad poros atque interstitia partium exiliora, v. g. ad habitum corporis, vesiculas pulmonum, imo in his hinc inde vesiculos & spatiola nova sibi parat: ita a membris, quae immediatae magis occupat, seu alluit, varias appellationes sortitur, Hydrocephali nempe, Hydropis thoracis, Pulmonum, Uteri, Hydrocardiae cujus exemplum *Hildanus cent. I. obs. 3. producit*, Hydrocelis, Anasarcae seu Hyposarcæ, Oedematis, qualium specierum observationes Autores hinc inde, praeter quotidiam praxin, suppeditant.

§. IV. Qibus addere liceret hydropem peritonæi, in cuius penes foeminam duplicatura seri 125. libras delituisse *Tulpius l. 4. obs. 43.* & *Job von Meeckren obs. chir. cap. 49.* annotarunt, ac hydropem cimenti, qualem *Hildanus cent. 3. obs. 62.* testatur; Quemadmodum tumorem Lienis aquosum idem *Meeckren append. obs. chir. cap. 6.* in Mesenterio *Tulpius l. 2. obs. 34.* & *Horstius l. 5. obs. 33.* ac hydropem Stomachi *Riverius obs. comm. p. 285.* & *Blaneardus obs. anat. 84.* de scribunt. Frequentius in foeminis testiculorum & tubarum Falloplianarum involucra anguem in sinu alunt, ut videre est penes *Schenckius obs. p. 432.* *Baubinum* in append. ad *Rousett. obs. 7.* *Tulp. 4. obs. 45.* & *Sydenham de hydrope p. 138.* quemadmodum in ipso uteri fundo utriculi sero lixivioso turgentis ex communicatione *Eicholzii* meminit *Schenckius obs. p. 622.* Ne tangam hydropem illum vesicalem, ex hydatidum seu vesicularum, aqua scatentium, congerie ortum, qualem in abdomine communiter Ascitem spurium vocant, testanturque frequentiorem in porcorum abdomine Laniones, in hominum cadaveribus observarunt *Eugalenus descorbuto obs. 37.* *Cordæus comm. 5. l. 1. de Morb. Mul.* & *Schenck. l. a.* ac quales cystides serosas numero ducentas cum levamine ex abcessu ascitici educatas narrat *River. obs. binc inde decerp. 15.* per alvum vero excretas (majores tamen) idem *River. cent. 4. obs. 48.*

§. V. Functiones autem diversas morbus hic lædit, & Symptoma molestissima patrat; eaqve vel pluribus hydropis speciebus communia, vel huic aut illi magis singularia. Communia sunt Lassitudo corporis, appetitus prostratus, dyspnœa, sitis intensa, Urina pauca, febris lenta, viscerum corruptio & non minus illarum ac partium exteriarum mortificatio: qvibus accedunt tussis sicca, vigiliae, alvi induratio, tabes, in ascite & hydrope pectoris imprimis conspicua, tandem qve suffocatio lethalis. Peculiaria v. magis sibi servat hydrocephalus, sensuum ac motus voluntarii torporem, Scotomiam & vertiginem, convulsiones, epilepsiam, affectus soporosos, dolorem capitis gravatum palpebrarum ac superciliorum inflationem: it. capitis magnitudinem auctam; atqve hanc qvidem non tantum in hydrocephalo externo sed interno quoqve, non minus in infantum & puerorum puellarumq; sed etiam adultiorum, sc. qvorum ossa calvariae nondum exactius conferruminata sed per suturas hiant, imo flexibilia & mollia s. extensibilia adhuc sunt, ita ut in ejusmodi subjectis aliquando membranea plane visa fuerint, prout ex *Hildan. cent. 1. obs. 10. cent. 2. obs. 19. ac cent. 4. obs. 10.* videre est. In pectoris hydrope difficultas spirandi noctu magis ingravescit, annotante *C. Pisone de morb. intern. ab illuvie serosa* f. 3. c. 7. & *Riverio pr. l. 7. c. 5.* qvalis dyspnœa in asciticis post pastum qvemlibet, aut potus tantum, interdum parcam satis assumptionem, intenditur, ac demum in Orthopœam abit.

§. VI. Causam hujus diluvii microcosmici Schola Medicorum Galenica læsam sangificationem pronunciat, i.e. per qvam viscera, huic functioni destinata, nunc præter naturam se habentia, Epar imprimis, loco sanguinis laudabilis, nutritii ac spirituosi, serosum, vappidum & pravum procreent; qvalis cum partibus nutrientibus apponi atq; assimilari neqveat, è vasibus, vel per diapedesin vel anastomosin, vel diæresin, apertis, ad hæc atqve illa loca p. n. deponatur. Qvamvis hoc in passu ab Antecessoribus paulo recedat *C. Piso l. a. f. 4. c. 3. ac Sennert. pr. l. 3. part. 6. f. 2. c. 3.* qvasi nimirum non sanguis pravus seu in serositates p. n. conversus, sed qvales cum alimentis potulentis imprimis, hauriebantur aquositates, in renibus non rite secernantur, ac in genere vasorum stagnantes demum per illorum poros aut extremitates in hanc vel istam partem erumpant; ita tamen ut *Sennertus* in anasarca, veterum

Doctri-

Doctrinam adhuc approbet, quasi in hac hydropis specie per Epatis Dyscrasiam sangvis frigidior ac aquasior generetur, qui hinc ad totum habitum delatus, tertiam coctionem laedat & omnes ejus partes tumidas atque aqua quasi suffusas reddat.

§. VII. Verum dogma hoc Galenicorum dubium faciunt diversa, quatenus (1) multum adhuc inter se disentiunt ipsi Galeni Commentatores, quorum plerique evidenter hanc Epatis dyscrasiam hydrofamic in intemperie frigida, alii nihilominus, v. g. *Alex. Trallianus* & *Gvarinonius* in calida, alii in calida & sicca, v. g. *Cardanus* & *Platerius*, sibi concipiunt. (2) Diversi ex Galeni Sectatoribus satis fidis *C. Piso* v. g. & *Sennertus*, ut modo innui, ab hac ejus sententia recedunt, seu aetiologyam hanc hydropis minus universalem asserunt, & quidem non sine ratione, dum (3) ex infinitorum fere Prosectorum autopsia manifestum est, v. g. *Cordet l. a. Helmont. ign. hydrops, Paschalii de med. morb. 1. c. 34. Riverii obs. comm. p. 315. Tulpii 2. obs. 32. Horstii 4. obs. 47. p. 239. Rhodii cent. 3. obs. 4. Barthol. cent. 3. Hist. 2.* in Cada veribus hydrope cunctis, epar integrum & nulla labe sensibili detur patum frequentissime extitisse, cum tamen ejusmodi intemperies, quae hydropis causa, necessario texturæ hepatis notabilem valde alterationem inferre debeat, vid. *Senn. l. a. qvæst. 1.* Accedit (4) quod ex abuso potius calefacientium, v. g. potus generosi, Spiritus vini item a febribus acutis, multi hydropici evadant vid. *Dodon. obs. 13.* hinc (5) aliquando refrigerantium usu sanati fuerint, vid. *Dodonæus l. a. Smetius Miscell. l. 8. epist. 4. & Horst. l. a.* Et cum (6) praesto sint illorum exempla, quos casu subitaneo, v. g. vulnerato ventre, ab aquositatibus liberatos & sanitati restitutos Historiae prohibent, v. g. Fœminæ Patavinæ, cuius mentio fit penes *Pascalium l. a.* difficile dictu, qua ratione oeconomia epatis in tantum turbata, post aquæ profusionem, mox ad pristinum statum redierit, aut reduci potuerit. Porro & (7) Epatis officium sanguificatorium dudum jam dum a Physiologis concussum, & in dubium vocatum fuit, per argumenta ponderis haud exigui. Ac denique (8) aliquando in quibusdam brevi & absque ullo apparatu morbifico s. cachectico, saltem a causa evidenti, v. g. potu frigido, immoderatus sub febrili calore aut corporis a motu nimio exæstuatione assumpto, hydrops emergit observante. *Sylvio pr. l. 1. 17. & de hydrole*

ac Wcpfero de Apoplex pag. 285. epati neutiqvam in acceptis referendus.

§. IX. Sententiam autem *Pisonis* & *Sennerti* qvamvis qvoad partem etiam meam faciam, qvod excongestione nimia aquositatum assumptarum, harumqve in renibus similibusve emunctoriis haud sufficiente ac intempestiva secretione atqve excretione morbus hic aliquando oriatur, vel qvod hydrops interdum brevi ac subito in potatoribus concitetur, suppeditante ejusmodi Exempla bina *Pisone l. a. obs. 113.* & *114.* vel qvod longiore à potu abstinentia qvidam ab hydrope liberati fuerint, testantibus *Massaria lib. 3. cap. 116.* *Beneven. de abdit. morb. & sanit. caus. c. 13.* & *Panarol. pent. 4. obs. 38.* *Riverio obs. comm. p. 323.* vel qvod calculi similesve renum affectus, urinæ secretionem turbantes, non raro hydropem producant. Minime tamen causam hanc universalem plane concipere licet; qvod vel sine excessu in potu commisso notabili, vel sine vitiis renum, hydropem quotidie fieri, nos persuadeat Praxis.

§. IX. Æthiologiam eqvidem hanc hydropis renalem reconquerere videtur *Helmontius, tr. sup. alleg.* quasi causa ejus in renibus potius subsistat, crux sc. extravasatus, qui virulentiam peculiarem seu fermentalem induens renis archæum irritet, ut hic indignabundus laticem s. serum urinosum non admittat vel à Massa sanguinea minus sequentret, donec hoc cumulatum in vasis hæc perfringat compellando quasi illud: *Tu latex non vadis, quo te velim mittere, ad eluendum crux rem extravenatum; ego te non dimittam per consuetos ureteres.* Ast ne ipsi opponam, qvod in Epate hydropis causam primariam supponentibus objicit, sc. in paucis forsan hydropicis, præter Fiscalem illum Brabantiae, cuius meminit, cruxrem extravenatum observari, quatenus nullius subjecti similis recordatur *Helmontius*: mirari nihilominus satis neqveo, qvod idem Scriptor, qui in eodem tr. §. 3. eruditam severitatem ostenderat, his verbis: *non est jocandum in principiis Medicinae, in regulis, in causis morborum, siquidem de pelle humana, de eventibus familiis, imo de damnatione animarum, agitur serio, fabulam adeo anilem & tantum non hystrionem agat, seu Archæum hystrionem huncqve cum Latice altercantem & rixantem in scenam producat, & ridicula prosopopœia negotium adeo arduum decidere contendat. Ipsi vero hypothesi in §. præced. jamdum satisfactum puto.*

§. X. Rectius

§. X. Rectius proin illi sentire mihi videntur, qvi in seri, tam laudabilis, qvam excrementitii, læso motu seu extravasatione, causa hydropis primariam & proximam unice sibi concipiunt: cui tamen motui vitioso aliquando vel seri, vel viscerum diversorum, habitudo p. n. diversa ansam sub ministret, seu causa remotior existat, ut in sequentibus declarare conabor.

§. XI. Quidque primo serum laudabile seu naturale, hoc est, qvod sangvinem diluit ac partes gelatinosas seu nutritias foveat, & cum hoc ipsum chylum, aliquando causæ continentis seu conjunctæ munus in hydrope obtainere, svadet (1) qvod corporis partes solidæ, etiam sero tumidæ, hydropicorum contabescant: ut evidens præprimis fit in asciticis, qvorum abdomen & crura in immensum tument, marcidis ac excessu plane thorace & reliquis partibus conspicuis, imo in pectoris hydrope laborantibus idem observare contingit, in qvorum cruribus evi- dem magnitudo notabiliter aucta, reliquo corpore, thorace quoque, vix ossibus hærente. Qualis macies ab extravasatione & collectione seri p. n. fieri haud posset, nisi hoc substantiam alibilem intertextam gereret, i.e. nisi hoc non præternaturale, seu corruptum, sed naturale, existeret. Ne tamen quis ætrologiam hanc sibi talem fingat, quasi serum hoc laudabile seu succus nutritius, per viscerum demum discrasiam, corruptus ad eruptionem hydropicam disponatur, accedit (2) experientum hoc, qvod hydropicorum serum levi ignis calori, aut candelæ tantum, admotum, in gelatinosam seu macilaginosam substantiam congeletur; qualem scilicet lympha depravata aut corrupta non continet: Imo gelatinosa hæc textura in sero hydropicorum saepè adeo manifesta est, ut sine ejusmodi præparatione, in illo conspicua fiat, i.e. non sub aquositatis, sed coaguli glutinosi, specie compareat hydropis causa. Spectat huc (3) autopsia Willisi pharm. rat. l. 2. f. 2. c. 3. ubi quandoam Ictericum, Ascitem in immensum brevi adauertum, contraxisse scribit, ex quo per paracentes in eductum serum nihil flavedinis ostendebat: E. non ex vasis sanguineis & lymphaticis, sed lacteis tantum seu mesenterio particularibus lymphaticis, profusum, ante scilicet quam primas vias transierat, & in vasis sanguiferis, pravitatem Ictericam receperat. Porro & (4) loco aquositatum non raro ipsem Chylus, sub forma seri lactei ex cavitatibus hydropicorum educitur, dulcedinem quoque seu savitatem aliqualem odore & sapore exprimens. Ne repetam, qvod su-

perius innui, sc. (5) in ejusmodi qvoqve subjectis, qvæ de nulla viscerum notabili dyscrasia suspecta, ex improviso & subito admodum, ob levem in diæta v.g. commissum errorem, hydropem interdum evenire; Et (6) de qvo inferius dicetur, qvod arte qvoqve hydropem fingere seu producere liceat, sine ulla humorum animalis depravatione.

§. XII. Qvod deinde serum excrementium spectat, urinam innuo, etiam hanc aliquando hydropem, ejusqve imprimis speciem, qvam Ascitem vocant, producere, adeoqve Renes ac Vesicam pariter aliquam ejus causam remotam existere, Scriptorum itidem diversorum testimonia evincunt: non corruptivum Latici vel sero fermentum inspirando, sed motum tantum urinæ ordinarium interturbando. Quatenus *Platerus pr. l. 3. c. 3.* ex rene utroqve erofo atqve exulcerato in Nobili potatore Ascitem vidit, *Borrichius ad Baribolinum cent. 4. epist. 17.* à sinistro rene corrupto & dextro uretere calculo obturato, *Hollerius i. de morb. intern. l. 1. c. 39.* imo rene uno pariter absumpto, alterius vero uretere à calculo itidem obstructo, & *Dodoneus obs. 34.* à vesica exulcerata, *Platerus l. 4.* rupta, eundem morbum testantur: ac simile quid à vulnere renum, ureterum ac vesicæ contingere posse, vero simile est.

§. XIII. Per similem ætiologiam transpiratio qvoqve insensibilis ac sudor cohibitus ad hydropem disponere valent, serum nempe, qvod per habitum eliminari debebat, cohibendo, ejusqve plenitudinem in vasis augendo. Cujus asserti exemplum *Blanckardus cent. 1. obs. 19.* depromit, ubi in qvodam omnis sudoris excretio eousqve intercipiebatur, ut ab hoc aliquot septimanas gestatum indusium mundum & ab omnibus sordibus liberum manserit, ac hydropicus tandem evaserit idem.

§. XIV. Qvibus ita se habentibus infero, serum utrumqve, tam laudabile sc. qvam exrementium, si ejus motus eousqve turbetur, ut extra vasa & receptacula sua in spatia corporis p. n. ubi minorem offendit resistentiam, profundatur, via nempe naturali interclusa & p. n. formata, causam hydropis materialem, & conjunctam fieri: sive hoc cum sensibili ambitus horum intumescientia contingat, v.g. in anasarca, ascite & hydrocephalo externo, sive secus & sine evidenti molis augmento, v.g. in hydrope thoracis & ut plurimum in hydrocephalo interno.

§. XV. Sc. supponendum hoc serum, hydropem formans vel per diapedesin & vasa quasi integra elabi, sanguinis nempe; vel per rupturas erosiones & plagas horum profundi, sanguinis pariter ac urinosis. Quidam ratione modi prioris ex Physiologicis constat, fibras, ex quibus singulæ partes molliores contextæ, arteriis ac venis & lymphaticis intermedias, tubulatas non tantum, quo serum nutritium admittant, sed porosas quoque, quo hujus fluidiorem portionem transmittant, (unde partes omnes, non minus extrinsecus quam intrinsecus, nunquam non madent) existere; quæ earum porositas si justo plus laxetur, plus justo pariter feri affluentis per hanc extillat & congestum hydropicum format. Qualem quidem transfusionem hydropificam prolixe probare vix opus puto, quod plerique, si non omnes, Scriptorum, veterum pariter, ac recentiorum, in hoc extravasationis modo consentiant: Confirmandæ nihilominus ipsi sufficiet, quod aliquando hydrops brevi sanetur, aut vix sensibilitèr augeatur; quale quid fieri non posset, si à laceratis & ruptis semper vasis malum hoc eveniret, utpote quæ, non adeo facile coalescunt. Cui accedit experimentum inferius sub nectendum, quo, prudente venarum Ligatura colluviem ejusmodi in partibus diversis fingere, sublatis vinculis eandem sistere, conceditur.

§. XVI. Aliquando nihilominus per evidentiores unitatis solutiones, i.e. lacerata vulnerata & erosa vasa, serum p. n. confluere, vel ex illis, quæ superius de ascite à renum, uretherum & Vesicæ vulneribus atque erosionibus monita, concludere licet: vel probabile reddit vasorum lacteorum & Lymphaticorum exquisita teneritudo seu tunicarum summa subtilitas; quapropter illa non frequentius rumpi, magis, quam rumpi, merito miramur.

§. XVII. Quæcumque E. serum præter modum stagnare, seu quo quo minus libere per vasa sua revehatur, faciunt, tam laxitati illi fibrum, quam rupturæ vasorum, occasionem præbent. Inter quæ primo sunt Lymphæ habitudo, seu spissitudo præternaturalis, cuius intuitu à vasorum suorum & venarum extremitatibus non adeo commode resorberi, nec ad canalem sanguinis prompte reduci, valet illa. Unde hydropem frequentius concitant morbi, qui cruditatem s. glutinositatem lymphæ p. n. pro causa agnoscent, vel hanc producunt, v. g. febres Chronicæ, Scorbutus, hæmorrhagiæ nimiæ, Icterus diutinus, men-

sium suppressio: item potus fugidior, æstuante corpore affatim hau-
stus, serumqve congelans, utpote à qvo vel solo, sine ulla procatarxi
morbifica, sæpe numero hydropem generari, qvotidiana loquitur Pra-
xis. Imo hunc causandi modum evidentiorem reddit liqvor acidus
venæ canis vivi infusus, qvalis qvemadmodum sanguinem prompte,
tandem ad excidium usqve animalis, coagulat, sic inter anxietates, qva-
les hoc ex in patitur, magna seri copia per ejus fauces & nares prodit,
ac sensibilis hujus collectio in cadaveris cavitatibus hinc inde reperitur.
Hujus generis, qvæ lympham ad hydropis usqve productionem inspi-
sant, ex causis evidentibus etiam est Atmosphæra frigidior atqve humi-
dior, ratione cuius ab Hippocrate 3. apb. 22. hydropes morbis autumna-
libus accensentur: item abusus thermarum condensantium, dum v. g.
idem Hippocrates 5. epid. t. 4. refert, Atheniensem qvendam, à pruri-
gine universali vexatum, hujus leniendi causa Balneis in Melo se man-
cipasse, & pruritu deleto hydropicum evasisse. Alimentorum infinita
genera sunt, qvæ tenaces ac crassos succos producendo morbum hunc
formant, qvorum bina tantum ex potulentis adducere sufficiet. Aqvas
palustres ac lacustres, hinc vappidas, item hyeme nivatas pituitosissimas
existere & inter alios affectus hydropes lethales gignere, idem Coss, de
Aëre, Aquis & Locis t. 10. & 11. innuit. Qvibus non immerito addi-
tur Spiritus Vini seu aqvarum vitæ communiter dictarum, abusus, à qvo
multos in hydropem conjici, in propatulo est, ac confirmat Listerus
Exerc. med. *de morb. chron. p. 5.* freqventiam hujus morbi in Anglia
qvemadmodum Decker. in pr. Barbetti l. 4.c.4. in Belgio, ab hoc de-
promentes. Qvod qvidem vel ideo non omnino paradoxum viderii
debet, cum eadem testetur experientia, homines, qui liqvoribus ejus-
modi spirituosis indulgent, brevi appetitum ventriculi prostratum pa-
ti; ob lympham nempe hinc viscidorem redditam, & Chylificationem
turbantem: qualem mucositatem ventriculi iidem freqventius evo-
munt, annotante eodem Listero l. a. p. 6. & 7. At & coagulatoria Spi-
ritus vini vis in sanguinem hujusqve serum evidens sit per Experi-
mentum Celeberrimi D. Bobnii Patroni Preceptoris & Prvmotoris mei ad
urnam usq; devenerandi & colendi, Actor. Erud. ann. 83. Mens. April.
insertum, qvo non tantum sanguinem extravasatum, cui affunditur, ita
spissiorem thrombum cogi, sed vasorum qvoqve sanguiferorum saucia-
torum hæmorragias in momento qvæsi supprimi, ostenditur; Neqve

in cruce tantum hæc Spiritus vini aut Frumenti, sed in sero qvoqve, ut tali & ab illo secreto, vis congelatoria deprehenditur: si nempe ad manudictionem *Illustris Boglei hist. sangu. exprim. 8.* ipsi Spiritus hic alcoholisatus affundatur, unde brevi in coagulum seu offam candidam illud facessit.

§. XIX. A quacunqve igitur causa Lympha fluiditatem suam perdiderit, stagnatione & congestione, sua vasa rumpit; vel qvominus prompte transvasetur, impedit: hinc porulos partium laxiores facile elabitur, aut per hos qvoqve, qui angustia naturali adhuc gaudent, per molem sui incumbentem & appulsum perpetuum, exprimitur.

§. XIX. Simile qvid, ad hydropem generandum, forsan etiam patrat serì abundantia, vasa ad rupturam usque vel distendens, vel horum intercapedes copiosius trajiciens: Cum potatores seu in potulentis hauriendis minus temperantes, hydropem sibi freqveutius, ac interdum concilient subito valde, aut manifeste & celerius intendant, ut videre est penes *Sennertum & Pisonem*; Contra, qui à potulentis abstinerere norunt, citius à malo hoc liberantur, ut §. 8. annotatum fuit. E-quidem haud ambigo, intemperantiam hanc immediate & per haustorum molem tantum tale qvid non semper præstare, sed cruditates demum in ventriculo & massa sanguinea producendo, sive forsan hic excessus visciditati Lymphæ, hactenus declaratæ occasione existet. Quid tamen aliquando plenitudine tantum sua, & quatenus canalem sanguinis præter modum replet ac circulationem turbat, ad hydropem disponat, mihi persuadere haud possum. Perinde enim ac *Plethora* communiter sic dicta, seu cruoris abundantia, hæmorrhagiis variis & variis harum modis occasione est: quid mirum pariter, si largior potulentorum seu aquositatum ingestio defluxionem aut extravasationem serì præternaturalem augeat, seu promoveat; quod eo promptius continget, si quacunqve de causa secretiones ejus naturales, v.g. in renibus, turbentur, vid. *C. Piso l. a. c. 3. & Plater. prax. tom. 3. p. 241. & 242.*

§. XX. Ast non ab habitudine serì vitiosa tantum extravasationem hujus hydropicam emergere, sed vasorum qvoqve transvehentium venarum nempe ac lymphaticorum, angustiam eidem freqventer litare, & circulationem lymphæ turbando in hydropem conjicere experientia ostendit. Liceat nihilominus huic mihi addere laxitatem nimiam extremitatum vasorum sanguiferorum & lymphaticorum, seu (prout

qvatenus Crura hæc scirrhosa parum admodum sanguinis & lymphæ admittebant, aut transmittebant, hinc latices illi ad vasa & viscera abdominalis copiosius devolvebantur, qvorum plenitudini transvehendæ qvia hæc minus adæqvata, sub eorum restagnatione plus seri ad abdominis cavum transfudabat, forsitan unum vel alterum qvoqve vas lacerabat.

§. XXVI. Infiniti numeri ac generis phœnomena viscerum ac partium à textura naturali recedentium, & per has motum lymphæ, ad hydropis usqve productionem, turbantium ex Autoribus allegare possem, nisi supervacaneum & à forma dissertationis alienum hoc judicarem: paucas harum anomaliarum E. indigitare sufficiet; Ab hepate testantur hydropem *Forest.* l. 19. obs. 14. *Rondeletius* Pr. p. 35. *C. Piso* l. a. c. 3. *Horstius* 9. obs. 13. *Salzman* obs. anat. p. 37. *River. cent.* 2. obs. 53. *Panarolus* *Pent.* 4. obs. 24. &c. à lienis pari vitio *Schenckius* lib. 3. de *hydrope* obs. 10. *Misc. N.C.* dec. 1. ann. 4. obs. 148, qvemadmodum à lienis & Epatis vitio simul natum ascitem *Platerus* obs. l. 3. p. 634. aliiq; testantur. A mesenterii glandularum induratione tale quid fieri autopsia docet, *Tulpis* lib. 2. obs. 33. *M. N. C.* ann. 3. obs. 180. Ab omenti glandulis majoribus *Hæchstetterus* decad. 10. obs. 7. A pulmonum scirrho, duricie & vomicis hydropem pectoris & ipsorum Pulmonum annotavit *Bonnetus* anat. pr. lib. 2. f. 1. obs. 24. *Piso* f. 3. c. 7. *Hildanus* cent. 2. obs. 29. & *Heurnius* obs. 6. ab utero hujusqve testiculis p. n. tumentibus in foeminis quam freqvens sit ascites, innuit *Schenckius* lib. 3. obs. 6. & 7. & *Horst.* 11. obs. 7. ac *Sydenham* de hydrope; Qvorsum etiam spectant tumores crurum, œdematosi gravidis multis solennes, ob Catameniorum stagnationem: etiam nonnullas post partum satis diu molestantes. Qvales & in numeræ hujus generis viscerum anomaliæ non alia ratione quam qvod sanguinis ac lymphæ refluxum turbent, tale quid patrare, dixi; quamvis de his qvoqve dubium maneat, annon aliquando seri præter modum, evacuati hinc motus circulatorii læsi effectus seu productum potius, quam causa existant.

§. XXVII. Evidentior est ætiologia hydropis in casu, qvem *Rhodius Mantiss.* anat. obs. 21. recenset, Foeminæ cujusdam hydropicæ, cuius venæ cavæ descendantis principium adeo arcte coaluerat ut ne specillum quidem transmitteret. Angustia siqvidem vasis hujus coalescentia, aut si mavis conniventia, inducta, refluxum sanguinis ac seri eo usqve:

tusque sufflaminabat, ut vasa lymphatica huic minus paria illius portionem ad ventrem dimiserint, modo nimirum superius explicato.

§. XXIX. Neque tamen distensio ejusmodi lacerationis vasorum lymphaticorum & lacteorum existit causa solitaria, sed vulnerantia quoque ac erodentia eorum continuitatem ad parem inundationem aliquando solvunt, ac utramque hanc aetiologyam confirmat *Platerus Pr. l. a.* ubi ex contusione ventris violentiore quosdam hydropicos factos refert, prioris vero *Bartholinus cent. 2. obs. 74.* exemplum tradit, ubi in quadam sub gestatione sarcinæ majoris & ambulatione concitate subitaneum aqualiculum productum perhibet. Quo etiam spectat hydrocephalus internus, qualem a tussi ferina in viro quodam *Ilmerus M.N.C. ann. 1670.* in pueru a casu ab alto & rotatione in dolio *Chiffletius obs. 11.* In alio pariter itidem ex lapsu in occipitum *Bonnetus anat. pr. l. l. f. 1. obs. 13.* annotarunt. Quibus addo binas hydrocephali interni a violentia externa concitati, historias, a *Celeber. Dno. D. Bobnio de vuln. leibal. sect. 2. c. 1.* enarratas, ac quod *M. A. Severinus de Abscess. anomal. p. 185.* de foetus sub diffcili partu hincque & duriore capitis contrectatione hydrocephalo freqventi testatur. Et quid impedit, quo minus ex ductu thoracico aut uno altero vase lymphatico vel lacteo, gladio transfozzo, lympha cum Chylo profusa hydropem modo pectoris, modo abdominis, & quidem præcipitem satis formet? Quemadmodum non adeo absconum videtur Apostemata & Ulcera organorum internorum aliquando hydropis Autores existere, vasa eadem erodendo, horumque fluida profundendo, quemadmodum *Tulpius 2. obs. 32.* quinqvies aquam intercutem a solo mesenterii ulcere se vidisse perhibet.

§. XXIX. Pergo nunc ad secundi generis causam materialem. Urinam nempe, quam pariter aliquando ejusmodi illuviem concitare, adeoque organorum urinatariorum vitia causarum remotiorum munere interdum fungi, superius dictum: quale quidem fluidum hydropicum ab antecedaneo odore sapore & quod illo minus gelatinosum sit, discernere licet. Quamvis quoad modum fiendi utriusque generis hydrops hoc commune gerat, quod hic posterior itidem modo per seru hujus transcolationem & restagnationem p. n. modo per aperturas renum, uretherum & Vesicæ manifestiores profusionem generetur.

§. XXX. Priorem modum declarant exempla per Ischuriam pertinacem diluvio huic expositorum, v.g. penes *Timaeum* 3. cas. 28. illius postatoris strenui, in quo ab Arthritide & ascite tandem interemto renes flaccidi & exiliores cernebantur, item quorum renes partim corrupti & consumpti partim uretheres calculis oppilati qualium *Bartholin.* cent. 4. *Epist. 17. Hollerius* 1. de *morb. intern.* c. 39. *Beverovicius Spicil. de calc. p. 204. Rolfincius* l. 9. *Confil. 1.* meminerunt, singulorum in ascitem prolapsorum quemadmodum pariter thoracis hydropem ab Ischuria *Verzach obf. med. 2.* testatur. In his quippe nec potulentorum aquasitas, nec serum sanguinis recrementium, quo decet, modo, ob vitiosam renum & vasorum excretiorum constitutionem, secerni, nec secretum ad vesicam & e corpore proscribi poterat. Proin utrumque fluidum ad massam sanguineam regurgitans eam odore seu fracedine sua inficit, adeo ut ejus per os ac nares exhalationem post Ischuriam quinque dierum annotavit *Lothichius l. a. c. 5. obf. 11.* oolidum hinc sudorem *C. Piso l. a. f. 4. c. 6.* Urinam meram colore ac odore cuivis adstanti facile agnitam, vomitu a quodam ex Ischuria agonizante rejectam referat *Bonnetus anat. p. lib. 3. f. 24. obf. 5.* cuius cadaveris cutis incisa hinc inde parem humorem fundebat; Imo ex *Rhodii cent. 3. obf. 28.* constat, cuiusdam, qui in reddenda urina per 15. dies defecerat, venas ad pollicis crassitatem intumuisse. Quid mirum ergo si plenitudo ejusmodi seris præternaturalis vasorum extremitates perrumpat, ac extravasata varias hydropis species producat.

§. XXXI. Alter modus, ubi per organorum urinosorum unitatem solutam urina abdomen irruit ibique collecta Ascitem gignit, præceps magis magisque manifestus est sive illa ab erosione, quod forsan frequentius sive a vulnere & ruptura contingat, cuius posterioris, in Vesica, hincque geniti Ascitis, exemplum *Roobuyzen obf. chir. part. 1 obf. 4.* adfert, prioris observationes superius fuerunt productæ.

Caput secundum Semioticum.

§. I.

Sufficiant haec quoad causas, progrediendum nunc mihi erit ad Diagnosin. Ubi notandum, quasdam species hydropis esse manifestas per tumorem mollem indolentem, album & intus fluctuantem, v.g. hydrocephalum externum & anasarcam, aliquando ascitem,

ascitem, hydrocelen, tumorem' pedum oedematosum & partium externarum reliqvarum apostemata serosa: Alias verò magis latere, hydrocephalum sc. internum, item thoracis, ac pulmonum hydropem, hydrocardiam, interdum etiam ascitem, uteri hujusque ligamentorum & cœterorum interaneorū inundationes. Metuere nihilominus tales, in genere jubent seu primordia illarum innuunt (1) si in individuis in quibus nulla de organorum urinariorum vitiis suspicio, urina parciō, crassior & interdum tincta valde emittatur; (2) si de eorundem organorum insigni vitio v.g. erosione constet, (3) causarum evidentium pariter ac latentium præsentia, v.g. febris Chronicæ, compotationum immoderatiorum in specie Spiritus Vini, sangvinis excretionum naturalium suppressionis, hæmorragiæ immodicæ visceris tumoris &c. quibus (4) addere licet appetitum ventriculi prostratum cum Urinæ imminutio hydropis certum præconem. Ast præsentem magis arguunt (1) facies vividior absqve causa manifesta, pallidum ac luridum colorem induens, (2) Tumor pedum ac faciei oedematosus, ille interdiu & in corpore erecto, hic noctu & in decumbentibus, major, cuius phænomeni disparis rationem reddit *Sylvius de hydropo* §. 31. 32. (3) Dispnoea sine aliorum morborum signis, à pastu notabiliter crescens ac in Orthopnoam deum abiens (4) sitis intensior sine calore & (5) fluctuatio seu aquarum strepitus ad motum corporis sensibilis.

§. II. Porro qvoad speciem & subjectum hydropis determinandum, hydrocephalum internum (nam externus ex signis tumoris aqvo si generalioribus dignoscitur) innuit Palpebrarum ac superciliorum tumor mollis, coloris, caloris & doloris expers, sensuum hebetudo ac torpor, cum dolore capitis tensivo, quibus temporis tractu in infantibus præprimis, quorum calvariæ ossium compagcs seu connexio minus firma adhuc, intumescentia capitis, plus minus monstrosa & sèpe vix credibilis, quales in Pueris duobus & Juvene octodecim annorum describit *Hildan. cent. 1. obs. 10. cent. 3. obs. 19. & cent. 4. obs. 10.* accedit. Petoris hydropem conjecturamus (1) ex dispnoea noctu imprimis, & primo somni tempore ingravescente ac sub diluculo remittente, quod signum pathognomonicum *C. Piso f. 3. c. 7. & Riverius pr. l. 7. c. 5.* ajunt; adeoqve paradoxis & rarioribus valde phænomenis accensendum, quod idem *Riverius obs. à Rufio comm. 3.* refert, sc. in virgine, diversis alias Symptomatis, sine tām difficultate spirandi ad mortem usqve ve-

zata, thoracem totum aqua virosa repletum apparuisse. Accedit fluctuatio in pectore, ad corporis volutationem, cum Empyemate evi- dem commune accidens; hujus nihilominus pus ab illius sero dupli- imprimis circumstantia dignoscitur: nimirum quod illud in flamma- tionem ac suppurationem praecedaneam habeat, hoc sine illis colliga- tur, (3) suspicionem hydropsis hujus facit, si pectori admota calida & calor lecti seu foci dispnœam & angustias ejus intendant, sub aquæ e- bullientis sensu, confirmante hoc Williso pharm. ration. part. 2. s. 1. c. 13. Ac (4) Brachii alterutrius dolor debilitas ac resolutio cuius causam C. Piso l. a. p. s. 3. c. 7. reddere annititur. Quamvis posteriora bina phœ- nomena quia in Empyicis etiam aliquando observantur, non nisi prio- ribus signis combinata, de hydrope nos certos faciant.

§. III. Ascitis metum, præter signa generaliora incutit Epiga- stircæ regionis tensio hincque Diaphragmatis compressio ab alimento- rum assumptione ingravescens, quæ paulo post tumorem abdominis & Scrotri pedisseqvam recipit, partibus, cœteris nisi anasarca combinetur, marcescentibus: Simul ad corporis motum fluctuatio aquæ percipitur intumescente simul evidenter latere in quod volutatur æger; supervenit Tussis sicca & quæ mox in principio molestabat, nunc cum Asthma- te ad Orthopnœam usque augetur. Hydrocelem tumoris aquosæ phœ- nomena manifestant, ita quidem ut penis simul infletur ac contorqeatur. In specie tamen, si tumor scrotri æqualis extra testiculos & in illius cavo; aut si in æqualis & testiculum forma æmuletur, cum cute rugosa; nunc aut cavitatem scrotri tunica ejus propriam nunc vero testiculorum integumenta occupare discamus: si demum super testiculum emineat, cysti s. folliculo peculiari inclusum, videtur serum. Hydromphalus ac pudendorum muliebrium hydrops signa hydropsis communia præ- se ferunt. Anasarcam denique quod spectat, in hoc totius corporis moles conspicitur aucta, quæ à cruribus ut plurimum incipit, his tam non perinde, ac in asciticis, à decubitu subsidentibus: & quidem cum habitus colore minus vivido, carnibus sc. laxis, pulsu parvo & urina ut- plurimum tenui, secus, ac in cœteris microcosmi diluviis; quod serum aquosum ad externa depositum, interveniente circulatione aliquatenus cum sanguine intra vasa adhuc communicet, adeoque hujus crassa- menta adhuc diluat, & cum hoc ad renes ablegetur

§. IV. Prognosin dum aggredior, ex *Aretæo* præmonendum,,
qvod, qvamvis perpauci satis ab hydrope liberentur , idqve felicitate
qvadam ac Dei potius , qvam Artis auxilio, vivendi nihilominus cu-
piditatem & tolerantiam singularem hoc correptos , non ex animi ala-
critate ac bona spe, sed ex ipsa morbi natura, ostendere: cujus rei qvi-
dem causam non declarare, sed mirari tantum, liceat, cum in aliis haud
adeo perniciosis affectibus ægrotantes abjecti sint animi, tristes, mortis
amatores in hoc vero & bene sperent, & vitæ cupidi sint. Qvibus ta-
men ne nimis applaudiar, nec absoluto prognostico linqvam, Progno-
sin pariter mihi concipere liceat generaliorem ac specialem. Ubi ra-
tione prioris præter *hoc Aretæi*, paucos admodum ab hac ægritudine
liberari, *Hippocratis* qvoqve de intern. aff. t. 27. judicium erit atten-
dendum: *Morbus gravis est Hydrops & pauci hunc effugiunt*, i. e. natu-
ræ pariter ac artis vires is eludere videtur ; ita tamen ut difficultatem
hanc minorem majoremve reddant diversæ circumstantiæ. Qvatenus
primò plus spei pollicetur recens præ inveterato , qvod hic præter cau-
ſæ pertinaciam, virium defectum, remediorum fastidium & viscerum
corruptelas pedisseqvas habeat ; qvod in recente non adeo metuen-
dum. Deinde dispar erit eventus pro diversitate causarum plus minus
pertinacium, dum qvi à febre , chronicâ perinde ac, juxta *Hipp.* pro-
gnost. t. 8. acuta, mali ominis observatur ; qvod utraqve vel singularem
humorum dyfcrasiam, vel viscerum labem, vel utrumqve, indiget :
qvi à vasorum majorum aut plurium ruptura, induratione ac corrupte-
la viscerum, erosione organorum uriniorum similiqve morbo orga-
nico, humorum visciditate aut pravitate enormiore, v. g. Scorbatica
aut nunqnam aut difficilius sanatur , illo qvi à transcolatione tantum
seu diapedesi aucta, visceribus integris obstructione leviore, v. g. Men-
sium, à potu frigido, ac dum *Valeriola* 1. obs. 2. Dulcem Gradiolam, U-
xorem hydropicam cum viscerum induratione sanatam perhibet, recte
DEI nutui ac indulgentiæ potius, qvam præsidiis medicis hoc adscribit.
6. aph. 14. & de judic. t. II. Qvam difficultatem & periculum intendunt
ac mitigan tertio symptomata ipsi supervenientia horumqve circum-
stantiæ. Dum *Hipp.* 3. coac. 285. hydropem incipientem per alvi flu-
xum aquosum, citra cruditatem contingentem, morbum solvere , 4. v.
de morb. t. 34. fluxus alvi impetuosiores hydropicis lethales , pronun-
ciat, sc. morbo inveterato aut crudo supervenientes, ita ut ejusmodi

ægri sentientes ac loquentes moriantur. Porro urinam paucam, crassam & rubicundam præter eundem Hippocratem 3. coac. 284. Willisius Pharm. rat. part. 2. f. 2. c. 3. malam ait: qvemadmodum tussiens eidem Hippocrati 6. apb. 35. Et Oribasio desperatus judicatur, qvod nihilominus haud universale testatur Holler. 1. de morb. intern. cap. 39. in Scholiis ac Sennertus pr. l. 3. part. 6. f. 2. cap. 3. item, qvi convulsionibus corripitur, 3. coac. 287. & recidivans, vid. coac. 288. Hollerius & Sennertus l. a. Nec abscessus & ulceræ hydropicorum facile sanantur, sed his utplurimum mali ominis sunt, testante Hipp. 6. apb. 8. & 7. eped. 13. Denique plus spei est in illis, qvi morigeros in remediorum admissione & diætæ accuratioris observatione se gerunt: adeo ut hinc hydropem facilius in servis, qvam in liberis curari Celsus 3. cap. 22. scribat.

§. V. Verum, qvo ad hydropis specierum prædictiones, monendum, hydrocephalum externum cum anasarca, ascite, & hydropem pectoris ac pulmonum semper minus periculose esse; cùm remedia facile admittat ac aliqvando levioribus cedat; Testantibus Paræo 7. cap. 1. Amat. Lusit. 1. cur. 79. Et Foresto 3. obs. chir. 6. & 8. obs. 29. & 30. in Schol. Terminum tamen ejus lethalem soporosi ac convulsivi affectus supervenientes intimant, vid. Forestus 8. obs. 30. & Schenckius obs. p. 10.

§. VI. Pectoris Diluvium, qvia rarius nisi à ruptis lymphaticis ac viscerum, freqventius pulmonum, aut Cordis hujusqve vasorum morbo conformatioñis, v.g. Polypo, dependet, & organa vitalia ab ipso immediate supprimuntur, periculosius deprehenditur ascite ac brevius suffocat. Qvod si tamen aliqvando organis his integris & vasis tantum minoribus laceratis fiat, & per paracentes in thoraci lympha extravasata sensim effluat, mitior erit ferenda sententia, qvale qvid Willisius Ph. rat. part. 2. f. 1. c. 13. annotavit. Ast deploratus omnino videtur hydrops talis, si anasarcae aut asciti superveniat: non secus ac ipsam compagem pulmonum inundans.

§. VII. Ascitis præ Anasarca difficilioris curationis est, sine dubio qvod, ut superius innui, serum ad spaciola partium fibrosarum profusum cum vasis suis aliqvando adhuc communicet, adeoque ejus aliqvid ab his resorberi, digeri aut per excretoria congrua eliminari commodius queat: nisi forsitan Ascites Anasarcae superveniat, qvi solitarie majoris spei deprædicatur, i.e. illo, qvi ab anomaliis Viscerum & vasorum ruptura emergit; qvemadmodum pariter ab erosione ac lace-

ratione

ratione renum, Vesicæ &c. nisi organis his lœsis promptius coalescentibus & urina per vulnus vel ulcus abdominis commode profluente, qualia exempla Fernelius §. de part. morb. & Sympt. 13. Benivenius de abdit morb. caus. obs. 7. Schenck. obs. p. 507. & 508. ac Baubinus in app. ad Roussel. recensent. Aliqua nihilominus salutis spes est, si pharmaca propinata aquas copiose & cum euphoria evacuent, & Venter hinc detumescat: sin vero nihil aut parum ab illorum usu excernatur, ac viscera hinc irritata cum abdomine magis intumescant, aut tumor subsistens paulo post recrudescat, omnino desperandum erit.

§. VIII. Minus periculi subest Hydroceles, si nimis ejus causa particularis extiterit, secus, si serum vel ex abdomine, aliunde hic confluat, aut alteruter hinc corruptus testiculus, ut Dodonæus exempl. obs. 39. & 40. perhibet: prioris enim humiditas topicis facile discuti aut sectione educi valet, dum contra, qui ab Ascite hydrops scroti periculum cum illo commune gerit; id quod etiam de Omphalocele judicandum. Tandem hydropses particulares membrorum externorum, vix, nisi aliis superveniant morbis internis gravioribus, aut alii affectus, gangræna v.g. illos excipiat minime singularem metum incutiunt: ut ut horum tumorum unus altero difficilius, vel ratione causæ, vel alterius cujusdam circumstantiæ, sanetur. Qui vero organa interna afficiunt, v.g. Uterum, hujusve testiculos, Lienem Mesenterium &c. nunquam periculo vacant, rarissimeque curantur.

§. IX. Anasarcam deinceps quod concernit, si haec asciti & pectoris hydropi, reliquisque internis diluviiis comparetur, minus periculosa est, ob circumstantias superius allatas, nisi gravior aliquis morbus, v.g. phthisis aut tympanitis ipsi combinetur, aut ascitem sequatur. Tuttior adhuc est minus universalis, v.g. crurum, sub nomine tumoris oedematosi, modo ascites non simul lateat aut jam jam ad sit.

Cap. III. Therapeuticum.

§. I.

Therapeiam deinceps Hydropis ut adjiciam, respicit haec causam tam conjunctam quam antecedentem: & quidem utramque removendam, per remedia nunc cunctis hydropis speciebus communia, nunc singulis earum propria.

§. II. In

§. II. In genere ratione causæ continentis seu conjunctæ scien-
dum, illam, h. e. serum extravasatum & qvod locum naturalem muta-
vit, sui restitutionem ad canales & receptacula indicare: qvia tamen
(1) serum à crurore secretum non facile cum hoc in gratiam redit, im-
primis si (2) aliquam corruptelam contraxerit, nec (3) Vasa ipsius moli
rejectæ recipiendæ paria, multo minus (4) de remediis constat, qvi-
bus serum (si forsan tumores oedematosos recentes & exiliores excipi-
as) illis impelli valeat; non tam reductioni, qvam eductioni ejus, hic
videtur superesse locus. Qvæ qvidem eductio qvam citissime fieri de-
bet, ne ex diuturniore ejus in compage partium retentione tonus ha-
rum nimis laxetur, in Ventribus viscera lœdantur, erodantur, induren-
tur, aut qvocunqve modo corrumpantur, hinc novi morbi prode-
ant.

§. III. Instrumenta ejus sunt vel Pharmaceutica, vel Chirurgi-
ca; qvibus tamen eorum primum locum concedam, ambigo. Dum
eqvidem secundum præcepta Practicorum vulgaria semper à pharma-
ceticis, catharticis sc. diuretuicis &c. foret inchoandum: eo ipso ta-
men, qvo sub horum usu occasio præceps, operationibus Chirurgicis
favens aliquando elabitur, & hydrops ejusqve causæ ad ἀνυψόν deplo-
ratam plane evehuntur; tutius forsan & è re magis ægri non raro vide-
bitur, evacuationem magis evidentem seu chirurgicam reliqvis ante-
ponere seu præmittere, qvo *Listerum quoque demorb. cbron. exerc. 8.*
egrot. 8. inclinare observo.

§. IV. Instrumenta pharmaceutia sunt Catharsis, diuresis, &
diaphoresis, forsan tamen vix cunctis hydropis speciebus harumqve ca-
sibus congrua. Ratione catharseos monendum, illam secundum ple-
rosqve adornari tantum κάτω, secundum nonnullos ἀνω siniul, v. g.
juxta *Sydenham* de hydrope qui præcoeteris hydragogis hoc nomine:
Crocum Metallorum, hujusve infusum extollit. Deprædicarunt alii
idem medicamentum cum aliis vomitoriis, v. g. *Sennertus* cum floribus
Antimonii, Mercurio vitæ, Turpetho minerali, Auro vitæ Kegleri &c.,
qvamvis cum hac observatione, qvod sibi persuadeant, emetica in hy-
dropicis ferè tantum per inferiora evacuare qvod nihilominus experi-
entiæ repugnure innuunt præter infusum illud antimoniale Succ. rad.
Iridis nostratis, Elaterium, Sambuci Cortex interior, qvæ cuncta hy-
dragoga ut plurimum hydropicis non minus ac aliis, vomitus movent.

Ut mirer, conteraneo suo *Lysterum l. a. agrot. 18.* adeo fervide hoc in puncto contradicere, qvi tamen à magisterio suo Venetis, succo Ebuli, Iridis & elaterio vomitus cum Euphoria in *Agrot. 6. 7. 8. 9. 10. 13. 14.* anno tavit: Potissimum cum ipse met ille *Sydenham* non sine omni limitatione emetica atqve cathartica potentiora omnibus propinet, sed prohibentia eorum satis accuratè determinet.

§. V. Interim de purgantibus in genere docet *Experientia* omnium Practicorum, sine his in medela hydropicorum vix aliquid salutaris expectari posse: adeo ut qvorumcunqve scriptorum evolvas curatorum ejusmodi historias, sine multa ac repetita Catharsi istos vix unquam restitutos fuisse, legas, excepto forsan *Sylvio Poterio* ac *Willisio* qvi aquas in cavitatibus congestas à purgantibus educi haud posse credunt, ut in Anasarca forsan locum habeant. Nec sane destituuntur hi omni ratione dubitandi, multo minus exemplis eorum, qvos frustra & ad tumulum usqve purgatos testatur experientia quotidiana, siqvidem vix concipere licet modum, qvo purgantia ultra tertiam corporis regionem & ad cavitatem thoracis, abdominis &c. vim suam exerant. Adeo ut qvamvis *Willisius pharm. rat. part. 2. f. 1. 13.* in hydrope pectoris catharticis vim aliquam tribuat, haud appareat nihilominus ratio sufficiens, per qvam, nunc illam probet in ascite antea in dubium vocata. Imo forsan cum *Sylvio de hydrope* §. 184. & *Willisio l. a. f. 2. c. 3. f. 5.* Ambigere licet, annon hydrops hic magis exacerbetur i. e. à purgantibus plus molestiæ aut noxæ, qvam levaminis seu emolumenti veniat expectandum: qvatenus per illa serum intra vasa, funditur & ad loca affecta magis urgetur sicqve qvod hactenus causa tantum antecedens erat, nunc conjuncta evadat.

§. VI. Verum prout monui effectum purgantium in hydrope qvovis salutarem testatur plurium ejusmodi ægrorum, hinc contingens reconvenientia. Cujus testes ex Modernis deprehendimus Sydenhamum de hydrope & *Lysterum l. a.* Ut ut nec deficiant contrarii successus exempla: Et qvod non omnibus æque exoptatus eveniat catharticorum usus, non horum inertiarum, multo minus noxæ, sed gravitati potius affectus erit adscribendum; v. g. si à ruptura lymphaticorum, viscerum induratione &c. ille fuerit. Sane fatendum est, latitare nos canales & modum, qvibus ex cavitate abdominis, v. g. aqua hy-

dropicorum ad Ventriculum atque intestina reducitur, ut per hæc ē corpore proscribi queat: Sed propter deficientem ætiologiam non est rejiciendum remedium; cum plurimorum medicamentorum modum agendi ignoremus, experiamur tamen eorum effectus desideratos quotidie. Exempli gratia, quoties non contingit, sanguinem ad cavitatem calvariæ aut abdominis extravasatum per nares, per Intestina, uterum &c. evacuari, ut ut modus, quo hoc fiat nos lateat. Ut ut ergo naturam non semper imitari liceat, tentanda tamen & sollicitanda illa est, donec meatus illos occultos quærat ac inveniat: quod quidem non raro sine successu fieri non tantum ex mole aquarum sub Cathartis prodeuntium hincque contingente partis tumidæ subsidentia, sed vel hinc imprimis colligimus, quod illis etiam diebus, quibus à purgatione feriamur, aliquando continuetur non tantum aquarum excretio per alvum, sed per meatus quoque urinarios earum multum excernatur, annot. *Sydenham de hydr.* p. 170. Et quamvis non raro observetur, Ventrem asciticorum sub & paulo post purgantium usum aliquando non adeo sensibiliter subsidere, aut post aliqualem subsidentiam denuo intumescere, quasi novo aquarum proventu iterum repletus foret, testante hoc imprimis *Sydenhamo l.a. p. 121.* Ipsemet tamen *Vir hic celeberrimus addit* ac rationi consonum videtur, contingere tumorem, hunc non tam à colluvie repetente quam à flatibus & spasmis, ab ataxia spirituum, per cathartica concitata, productis, quatenus inflatio hæc paulo post & ubi à purgantium usu cessamus, vel sponte remittit, vel anodinorum prudentiore propinazione sedatur.

§. VII. Medicamenta hydropticis expurgandis congrua à practicis pronunciantur multa, sc. ex Vegetabilibus Sambuci atque Ebuli baccarum grana & illorum Cortex interior hujusque decoctum, à *Sydenhamo* præ aliis commendatum, item Ebuli rad. Corticis mediani. Succus, *Lystero* in frequentiore usu, Rhamnus catharticus f. spina infectoria hujusque Syrupus à *Riverio*, commendatus, à *Sydenhamo* vero & *Loffio* 3. obs. 41. & 42. approbatus, in illis sc. quorum Venter facile movetur. Quibus accedunt Soldanella, Gratiola, Succus Ireos nostratis, Gialappa, cuius Resinam Borellus cent. 2. obs. 33. deprædicat, Esulæ radix, Elaterium f. succus cucumeris asinini, Gummi Gotte, Scammonium, & Iris Florentina cum tantillo jalappa ex observatione

Meyerni

Mayerni. Et ex mineralibus *Crocus metallorum*, *Sydenhamo* maxime æstimatus, seu hujus potius infusum, *Luna hydragoga*, post *Angelum Salam*, à *Boyleo de util. Phil. Experimental.* & *Willisio L.a.s. 2.c.5.* adeo commendata, *Mercurius dulcis Mayernio* & *Lysteri* valde æstimatus, & cum hoc subactus *Mercurius* vitæ ac præcipitatus solaris: qvibus accenseo flores lapidis Armeni seu ex qvovis minerali Venereo, cum Sale Armoniaco sublimatos, *Lysteri* qvos Ens Veneris vocat & pag. 64. describit.

§. VIII. Qvorum qvidem vis in eyacuando prout diversa, ita minus abhorrere debemus fortiora, sed potius mitioribus hæc anteponenda, cum leniora i. e. qvæ vel segnius, vel minus potenter, operantur, plus afficere qvam prodesse dicantur, ut videre est penes *Heurnium in Hipp. apb.* ubi ait, aqvam inter peritonæum & intestina fluctuantem, qvæqve lenioribus evacuari nequit, Elaterio aur Euphorbio educi, *Sydenham*, qui *L.a.* damna mitiorum catharticorum explicat, hinc Elaterium *Crocum metallorum* & succum corticis sambuci fere tantum commendat, & *Lysterus* qui Elaterii radicis Eboli, Euphorbii, Succ. rad. Ireos nostratis similiusqve violentiorum efficaciam salutarem diversis exemplis non minus ac rationibus propugnat, ac ab inculpationibus vulgi prolixe satis vindicat.

§. IX. Qualia tamen, imprimis Draistica magis, nec ipse *Sydenham*, nec alii Practici circumspecti, in omni hydrope, nec omnibus hydropicis, æque admittunt, v.g. si à phthisi aut visceris alicujus labore, induratione, putrilagine &c. vel à sangvinis nimia corruptione fuerit malum, aut si æger à morbo antecedaneo aut evacuationibus aliis jam-dum viribus enormiter fractus fuerit, qvod pariter observandum de tenerioris texturæ Subjectis, in specie foeminis, ataxiis Spirituum magis obnoxiis. In qvibus casibus à potentioribus catharticis & multo magis emeticis, non tantum non juvabitur æger, sed visceribus ac sangvinis crassi magis debilitatis ac fractis malum augebitur; adeoque tunc ad diuretica potius configiendum. Neqve etiam statim in prima hydropis invasione i. e. ubi pedes tantum inflantur aut abdomen aliquantulum intumescit opus erit catharticis ejusmodi, sed sufficient pariter.

diuretica atque planchnica seu digestiva, de quibus inferius agetur. Imo in ejusmodi hydropis primordio emetica aquas non adeo prompte educere. *Sydenhamus* expertus ait, ac ubi major aquarum copia aggesta fuerit, quasi ipsa aquarum moles, dum emetici operatione agitatur ac concentitur ad sui evacuationem mire conferat; extra quem casum solis per inferiora evacuantibus agendum foret.

§. X. Eadem fere ratio est diureticorum, i. e. nec horum explicari valet aetiologya, per quam nam in Ascite, hydrope pectoris aliarumque cavitatum causam continentem evacuent, qui tamen in Anasarca magis evidens est. Eo ipso tamen dum experientia testatur, asciticos non minus, ac Anasarca laborantes, ab usu illorum maxime levari & pro deploratis habitis restitue: *Rondelit Method. part. I. cap. 36.* & quidem interdum solis his in ejusmodi subjectis, quorum constitutio tenerior purgantibus ferendis impar est. Videatur *Mayernus pr. I. 3. c. 10.* & *Sydenham l. a.* Cavendum tamen ab illis videtur primo in ejusmodi Ischuriæ causis & casibus, ubi diureticis alias non conceditur locus. Deinde, si à solutione continui membrorum, urinæ secretioni atque excretioni vacantium, inundatio abdominis viscerum evenerit.

§. XI. Diureticorum nomine ac virtute quæ polleant, ex Materia medica suppono, recensebo hic magis appropriata, quæ sunt ex Vegetabilibus Linaria Daucus, Genista, Petroselinum, de cuius succi in hydrope sanando efficacia videatur *Riverius obs. à Famio commun. 5.* Ruscus, de quo idem vid. *Riverius cent. 3. obs. 52.* Salvia agrestis seu montana *Mayernio* specifice laudata. Allium, cuius vim deprecitat *Bartholinus cent. 2. hist. 74.* & *Sydenham p. 105.* decoctum Parthenii, Aparines Epaticæ stellatae item plantaginis succum cum vino paratum, prescribit *Mayernus l. a.* & hinc euporiston *Johannes Angli* ex succis his compositum, it. quod suum facit *Willius pb. rat. part. 2. f. 2. cp. 3.* Spectant hoc terebinthina Bals. Copayva Salia alcalisata Vegetabilem plerorumque, in specie genistæ, stipidum fabarum, juniperi, absinthii, tartari aut ex horum cineribus nec liqvore appropriato aut vino acidulo parato Lixivia, si imprimis his aliqvid absinthii integri, Cortic: fraxini, Ligni Sassafras &c. addatur, v.g. Lixivium benedictum aut diureticum

cum Mynsichti. Ex Mineralibus hujus loci sunt Nitrum, qvod reliqvis salibus hoc in casu præfert *Mayernius l. a.* qvod simul sitim, intollerabile hoc in morbo flagellum, simul compescat; qvemadmodum *Riverio* solo usu salis Prunellæ per mensem integrum sanatum obs. hinc inde decept. 9. perhibet: it. oleum terræ, qvod cum vino sumptum, urinam, sudorem & Vomitum movere ajunt, it. succinum & hujus Sal. Ex animalibus Ova formicarum, cum Lacte ebutyrato cocta & expresa, vid. *Mayernius l. a. pag. 291.* Pulvis apum, Lumbricorum terrestr. Millepedum, Cantharides, de qvibus vid. *Riverius pr. l. II. c. 6.*

§. XII. Sudorifera an ex cavitatibus, v.g. Aqvaliculi, serum educant, merito dubitatur, licet forsan causam antecedentem visciditatem Lymphæ, hincqve ortas stagnationes solvant, ac anasarcae causæ conjunctæ qvoqve prospiciant; imo asciticis & hydrope Pectoris laborantibus, dum ad sudorem adiguntur, molestias atqve anxietates enormes pariunt, ac testante *Platero* febres, cephalalgias, Vertigines Lipothymias similiaqve Symptomata concitant, abdomine interim v. g. haud subsidente, sed in majorem potius molem intumescente. Horum siqvidem potestas ultra tertiam corporis regionem se vix exerit, sed, uti dictum, causam tantum antecedentem in secunda ac tertia movent. Ubi tamen simul metuendum, qvin massam sanguineam fundendo serum pariter ad cavitates morbosas ac per habitum externum ejiciat.

§. XIII. Fida ac evidentior videtur activitas Chirurgicorum præsidiorum in causa hydropis conjuncta tollenda; qvalia sunt, Fonticuli, Ligaturæ, Paracentesis & Scarificatio; qvamvis nec hæc omnibus ex morbi hujus speciebus æqve congruere videantur. A nonnullis qvoqve commendantur Vesicatoria, forsan in anasarca tantum, ut videre penes *Riverium obs. a. Jacoz. comm. 21. & Willisum Pb. R. part. 2. f. 2. cap. 5.* aut si serum ex abdomine ad crura delabatur, his ad movenda. Qvarum nilominus usus suspectus creditur *C. Pisoni l. a. Septalio animadvers. pr. l. 7. §. 56, Hildano cent. 1. obs. 49, Sydenhamo de hydr. & ipsem et Willisio l. a.* qvod, qvia majorem sæpe colluviem post se trahendo, spirituum activitatem & vitalitatem partium extingvant, sphacelo lethali non raro occasioi existant. Tutiores forsan sunt fonti-

culi, à Celsō, Aetio, Hildano cent. 6. obs. 42. & Willifio l. a. commendati, sc. qvod lente magis operentur & per escharam partem à gangræna defendunt; minimè tamen, animadvertente Capivaccio pr. l. 3. cap. 18. & Hildano l. a. qvia cruribus applicari debent, admoveantur his tumidis, unde etiam Hildanus l. a. per ligaturam expulsivam & fôtu appro priatos tumidas tibias ad hanc administrationem præparat. Ast pariter in Anas farca potius, qvam ascite & hydrope pectoris, convenire videntur; nisi forsan in his paracenteseos instrumentum præstent, aut serum forsan ad crura ruat. Porro Ligaturæ expulsivæ aliquando insignis efficaciæ observantur, non tantum in tumoribus pedum, sed annotante Riverio obs. à Fomio comm. 6. in hydrocephalo quoque. Scarificatio pariter aquas tantum, qvæ habitum externum in undant, evacuat, nihilqve refert sive acu tantum connuni, qvam Willifius l. a. cap. 5. commendat, sive instrumento scarrificatorio Chirurgorum s. balneatorum adornetur, modo præceps & nimius istarum effluxus inhibeatur. Sic enim si colluvies hydropica non statim omnimode exhauriatur, certe in malo etiam deplorato vita ægrorum aliquandiu prolongatur: Qvo spectat illa femorum incisio, qvam Lysterus l. a. ægrot. 1. adornavit, nimirum femoris utriusque partem internam longa & profundiore plaga incidendo, huicqve lineamentum tortile penecilli instar, unguento Apostolorum imbutum, imponendo, sicqve cum purgantibus repetitis & strictiore potu aquas brevi educendo.

§. XIV. Paracentesin vero demum qvod spectat, præsentaneum aliquando in ascite ac pectoris hydrope observatur remedium testantibus hoc in abdomen Rondeletio meth. cur. lib. 1 cap. 36. Sculteto Chir. tab. 38. Bartholino Act. Hasn. vol. 1. obs. 8. Riverio obs. à Fom. com. 4. Sylvio pr. l. a. cap. 17. ac de hydrope §. 126. & 127. ac de morbo epid. Leid. §. 534. Barbette Chir. lib. 1. cap. 14. & Meeckren obs. Chir. 47. & 48. & in thorace Willifio l. a. s. 1. cap. 13. ne ejusmodi observationes tangam, casu nimirum Abdomine perforatorum sicqve à sarcina hac serosa liberatorum, quales M. Donatus cent. 3. obs. 12, Rousett. departu cæs. pag. 44. & Rhodius cent. 3. obs. 12. annotarunt. Contra alii administrationem hanc aut damnant, aut certe minus deprædicant, quasi non tantum morbum haud tollat, sed mortem quoque matureret, v. g. River. cent.

cent. 4. obs. 82. *Tulpius lib. 2. obs. 38.* *Sydenham l. a. & Listerus l. a. agro-*
to 18. Verum hoc remedii genus non tam in se, quam intempestive ac
minus rite applicatum funestum videtur, cum vulnera abdominalis in-
tigumentorum nunquam sint lethalia per se. Hinc non ejus usus, sed
abusus tantum, erit damnandus, qvod innere videntur plerique
Practicorum & inter hos *Lysterus* ipse met *l. a.* & per consequens
cum summa prudentia syaderi atque administrari debet hæc Chi-
rurgia.

§. XV. Cautelas in ejus administratione attendendas recense
re prolixum foret & Chirurgi muneris est; supponam potius hic peri-
tiorem Operatoris manum, ne per hanc eveniat, qvod *C. Piso f. 4. cap.*
3. prohibet, perforatum quendam asciticum altero mox die è vivis ex-
cessisse, Chirурgo non satis experto ligamentum Epatis præscindente;
nisi forsan dicere malimus, scirrhosum epar potius in hoc subjecto cau-
sam mortis extitisse. Potius medico disqvirendum, qvibus & quando
hoc præsidium quadret. Nam vix locum primo habebit in hydrope,
cujus causa remota non solubilis est, ubi nempe viscera indurata, &
corrupta, lymphatica, & lactea majora, lacerata, renes erosæ, ureteres
rupti aut vulnerata Vesica est, item si fuerit hydrops vesicalis vel visce-
ribus ipsis colluvies hæc suffusa, aut, ubi eadem ac humores graviore
atonia ac dyscrasia laborant, v. g. à febre chronica introducta. Con-
tra non sine omni spe administratur in ejusmodi subjectis, qvorum
viscera sunt integra & absqve labore notabili, Lymphatica & Lactea vel
plane non, vel minores tantum horum surculi, lacerata, à causa evi-
dente tantum & sine contumaciore procatarxi prodeat malum, v. g.
à potu in ordinato intempestivo. Deinde nec omni tempore quadrat
operatio hæc, sed in principio & incremento saltem morbi; dum vitiò
hoc magis inveterato, serum extravasatum interanea corruptit, &
quasi decoquit, horumque texturum variis modis evertit, deficiunt in-
teriorim simul vires vid. *Panarol. pent. 2. obs. 17.* *Fien. tr. Chir. 6. cap. 8.* &
Sylv. pr. l. a. Tertio nec adornanda in subjectis cacheeticis, febrici-
tantibus aut ab aliis morbis enervatis, qvæ tussi ac fluxu alvi laborant,
nec in pueris & senibus aut nativitate hydropicis, qualium historias
recensent, *M. A. Severinus de Abcess. pag. 266.* *Platerus obs. pag. 748.* &

Bonnet.

Bonnet. Anat. pr. lib. 3. sect. 21. obs. 16. in Schol. demum nec soli paracensis innitendum, sed huic cœtera remedia, tam evacuatoria, quam alterantia, combinanda.

§. XVI. In specie pro aquis Asiticorum eliciendis mirum quantum conferunt Clysteres; & quidem sine notabili viscerum atque massæ sanguineæ exagitatione, ex hydragogis nimis & aromaticis parandi, v. g. ex gratiola, absinthio, soldanella, beta floribus genistæ, centauri minori, radice Ireos nostratis, Bryoniæ, cortice medio sambuci, semine cumini carvi &c. cum urina imprimis decoctis, quemadmodum *Valeriola* obs. 2. Urinam in qua modicum fermenti ac tantillum sem. anethi, anisi &c. ebullierant, cum melle pro enemate euporisto commendat, & *Willisius* urinam meram, in qua aliquid Terebinthinæ ac nitri dissolutum injicere jubet. Clysmata pariter confidere svadet *Mayernius l. a.* ex croco metalli: & gummi Gotte, cum vino generoso solutis aut extractis hocque liqvore vel cum hydragogorum & Carminantium decocto, vel cum sola urina & terebinthina, injiciendo; It. ex radice cucumeris asinini, vel rad. Ebuli, suppositoria formare pro eodem scopo evacuatorio licet.

§. XVII. Qvoad causam hydropis antecedentem seu Therapeiam præservatoriam lymphæ lentorem corrigunt amara & aromaticæ, salina & Martialis sc. absinthium centaurium, marrubium, Saturreja Salvia montana, Beccabunga nasturtium, Cortex fraxini, tamariisci, rad. amaræ dulcis, Gvajacum, sassafras, Species diacurcumæ rad. Rusci, rob. tinctor. Arijraphan. rustic. Allium, Baccæ juniperi, species diaturbith, diacubebæ, diarhabbarbari &c. Tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum Sp. Sal. armoniac. simplex & aromatisatus. Tinctura Tartari, limatura & Crocus Martis aperitivus. De quibus tamen incidentibus ac digestivis notetur primo, illa in hydrope recente, i. e. ubi serum eruptionem adhuc minatur, & circa extrema vasorum suorum saltem stagnat, sine catharticis aliquando etiam sine diureticis sufficere, & his solis interdum malum cedere; modo monente *Sylvio* & *Mayernio* ab horum usu aut se in lecto contineat, aut moderato corporis exercitio exponat æger, adeoque utraqve ratione diaphoresin & activi-

activitatem illorum medicamentorum juvet; præprimis cum penes
M. Donatum Hist. mirab. lib. 4. cap. 21. legere liceat, qvendam hy-
dropicum ab assiduo labore, sine ullis aliis remedies convaluisse.
Deinde juxta Sydenham, qvoties vel solis his digestivis, vel etiam diu-
reticis, in specie alcalicis, morbum aggredimur, ab omni catharsi ca-
vendum; utpote qvæ, dum cruditati & visciditati seri ac sangvinis
corrigendæ vacamus, illam auget & recrudescere facit, sæpe adeo
sensibiliter, ut, qvi tumor à digerentium usu jam imminui cœpe-
rat, mox à purgatione sensibiliter denuo augeatur. Nihilominus
dum aquas per purgantia evacuare contendimus, haud abs re erit, re-
solventia illa his subindè interponere, sicqve digestiones viscerum
resuscitare aut conservare.

§. XIX. Ejusdem seri abundantiam imminuunt præter
evacuationes pharmaceuticas hactenus explicatas Vesicatoria &
Fonticulos, à Sylvio de hydrope commendata salivatio, in anasarca
qvovis tempore, in reliquis speciebus in principio tantum morbi, ad-
ministranda: qvatenus salivatio interdum spontanea hydropicis
Belgis cum euphoria contingit. Quemadmodum ex fonte diæte-
tico seri abundantiae mirum, quantum, derogat potus abstinentia aut
partior tantum ejus pitissatio, adeoque hydropem sensibiliter hinc
mitigari testantur omnes uno ore Practici, v. g. Dodoneus obs. 116. &
117. Panarolus pentecost. 4. obs. 88. Hildanus cent. 4. obs. 41. Hollerius
de morb. iutern. cap. 39. Riverius pr. l. 11. cap. 6. ac obs. à Jacoz. comm.
21. Willius l. a. cap. 5. Sydenham & Lister. l. a. Qvamvis Schen-
ckius obs. pag. 434. Panarolus pent. 2. obs. 24. pent. 2. obs. 24. Dodone-
us l. a. & Pechlinus lib. 1e obs. 63. annotaverint, qvosdam per nimiam
& avidiorem justo potulentorum assumptionem ab hydrope fuisse
liberatos: qvod qvidem non sine summo discrimine & per accidens
tantum factum videtur, qvatenus vel à potulentorum mole, vel ab
eorum simul fermentescientia (v. g. Zythi illius generis, qvod in Bel-
gio Bottel-Bier ajunt, quoque abutebatar illa virgo ascitica, cuius
Pechlinus meninerat,) umbilici ruptura, diarrhoeæ, hæmorrhoi-
dum fluxus &c. contingunt salutares, causam hydropsis proximam
evacuantes.

§. XIX. Potus etiam, qvi conceduntur, minus aquosi ac tenues sint, ut ut forsan æ gri palato arrideant, cum primam æque ac reliqvas digestiones magis debilitent & aquositates in corpore cumulant; potius his præferantur cerevisia generosior, vel per vegetabilia acriora, v. g. herb. absinth. Cochlear-Salv. rad. raph. rustic. Lignum &c. medicata, aut ipsumet vinum, itidem vel simplex, vel medicatum; ita tamen, ut aliqualis jamdum aquarum subtractio præcesserit, cavendo maxime à Spiritibus sulphureis *vid. Sydenb. pag. 182. & 183.* Siti interim fallendæ Nitri, superius commendati, usus frequentior proderit, it. collutiones oris cum aqua simplici, Sp. Vitrioli acidulata, vel tamarindi aut Limonum frustulum ore voluntata, minime tamen deglutita. Aut tentetur illud palliativum remedium, quo ab omni potu per mensem abstinentia fœmina quædam, penes *Listerum agrot. 17.* utebatur: nempe particulam panistostum, Spiritui vini intinctam aliquoties de die in ore detinebat, ad salivam movendam.

§. XX. Si vero vasorum ac Viscerum obstrunctiones diluvium hoc inferunt, per diuretica, diaphoretica ac digestiva hactenus enarrata illis mederi convenit; quamvis, ubi viscera indurata, parum spei superesse, ex prognosi pateat. In specie, quæ renum & uretrum oppilationi quadrent pro causarum & circumstantiarum diversitate varianda; quemadmodum pariter de illis, quæ Mensium suppressionem solvunt, praxis consulenda.

§. XXI. Demum partium recipientium tono laxato erit propisciendum, cum fibrarum laxitatem p. n. copiosioris seri affluxus causam aliquando existere, ex superioribus constet, i. e. laxioribus seu debilioribus membris modo per adstringentia, modo roborantia seu nervina, & quidem tam interne, quam externè, ad ministratas succurrentum. v. g. per Decoctum foliorum quercus, cuius solitarii efficaciam singularem in hydropicis testatur *Riverius obs. binc inde decerptar. 9.* cuius etiam generis sunt mala granata de quibus *vid. Avicenna lib. 3. sen. 14. tr. 4. cap. 13.* Externè conducent Empl. de

de minio, in Ascite abdomini applicandum, it. Spiritus vini, Emplastrum Oxycroceum, dia-saponis, in pharmac. Londinens. descriptum, cruribus ædematosis ac hydrocephalo, de qvibus vid. *Willis.* f. 2. cap. 3. & 5. it. acetum cum Charta bibula tibiis tmidis applicatum, Lixivia cinerum fagi &c. Decoctum Calcis vivæ & resoluta communiter dicta, v.g. carminantia. Quemadmodum huc referendæ Ligaturæ expulsivæ, de qvibus superius dictum.



alma dicitur in cunctis quibus in nobis est. A me primis o-
culis videntur et cunctis aliis oculis. Quod Oculi
videntur in aliis oculis non est quod cunctis oculis
videtur in unum videtur in unum. Nam enim cunctis oculis
in vicinis quibusdam cunctis oculis videtur in unum. Tunc
cum hoc sicut in unius oculo videtur in unum.
et hinc de cunctis oculis videtur in unum.

